

Theodericus, Leonardus et quidam alii Magdeburgensis et Halberstadensis diocesum, qui dilectum filium . . abbatem Nienburgensem exoculari ac mutilare ausu sacrilego praesumpserunt, nondum curarunt, saltem quatenus possunt ei satisfacere de tanto impietatis excessu, nec eidem illa etiam restituere, quibus ipsum et eius comites spoliarunt, quin immo etiam quidam ipsorum ad apostolicam sedem accessisse dicuntur et a poenitentiario nostro absolutionem sui excessus enormitate nobis non exposita recepisse. Ideoque fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi absolutione surrepticia non obstante, illos et quoslibet et alios, qui dicto vel facto ad ipsius mutilationem abbatis opem et operam impenderunt, tamdiu appellatione remota excommunicatos solempniter nuntietis et faciatis per loca, in quibus expedire videritis nuntiari, donec de tanto excessu satisfecerint competenter et cum litteris vestris rei seriem continentibus ad apostolicam sedem venerint absolvendi. Illos quoque qui dictum abbatem et eius socios spoliarunt, ut ablata restituant universa, monitione praevia per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate cogatis, cum ligari possint fortius iam ligati. Datum Anagninae Nonis Marcii pontificatus nostri anno sexto.

Aus dem Lib. regestor. an. VI. ep. 233. Tom. III. fol. 200. im Vatican. Archiv.

No. 95. 1222. 6. Juni.

Landgraf Ludwig von Thüringen bevrkundet als Vormund des Markgrafen Heinrich, dass auf dem Landdinge der östlichen Mark Otto und Friedrich, Söhne des Grafen Friedrich von Brena, vor ihm eine Schenkung ihres Vaters an den B. Bruno feierlich bekräftigt haben, worauf die Boten des Bischofs in den Besitz eingewiesen worden seien.

In nomine domini amen. Ludeuicus dei gratia Thuringiae Langravius Saxoniae comes palatinus omnibus in perpetuum. Notum sit tam praesentis quam futuri temporis Christi fidelibus universis, quod cum loco et vice cari nepotis nostri Henrici filii domini Theoderici felicis memoriae Misnensis et Orientalis marchionis Delsz^{a)} in Orientali marchia provinciali placito praesideremus, dilecti cognati nostri Otto et Theodericus filii nobilis viri domini Friderici de Bren ad nostram praesentiam accedentes donationem reddituum, quos pater ipsorum vivens eo tempore, quo beneficia pueri de Witin comitis a venerabili domino Brunone Misnensis ecclesiae episcopo recepit in feudo, Bichene^{b)} coram praedicto principe domino Teoderico de praedio suo cum consensu heredum suorum in villis et mansis et nemoribus ipsi domino episcopo et ecclesiae suae ad summam quadraginta et quatuor marcarum dederat, et sollempniter assignatos de manu ipsius in beneficiali iure resumpsit. Ut factum idem posset ut debuit per omnia roborari, donationem patris publice innovantes ad sanctorum reliquias, quas Vlricus praepositus Wreimensis, Sifridus canonici Misnenses, Johannes notarius, Tammo pincerna, Henricus dapifer ipsius episcopi et Wernerus de Buliz miles qui erant ipsius nuntii obtulerant, donum manibus propriis facientes villarum

a) Delitzsch. b) Püchau.